



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas III. An possibilitas Incarnationis cohæret principiis Theologiæ
Christianæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

certè universaliter quò perfectior est essentia, eò perfectiores habet proprietates, definitur enim per hoc, quòd sit radix reliquorum, hinc perfectior essentia, est perfectior radix, non esset autem perfectior radix, si perfectiores proprietates non haberet; consequenter divina essentia, quæ est infinita, debet habere perfectiones infinitas, atq; adeò esse principium & radix Sapientiæ, Justitiæ, & aliorum similium. Porro attributa divina ita sequuntur naturam divinam, ut nonnisi, ex modo nostro concipiendi, differant ab ipsa natura; nam eandem Deitatem, prout concipitur à nobis per modum radices reliquarum perfectionum, appellamus essentiam, & eandem Deitatem, prout est principium cognoscendi altissimum, appellamus Sapientiam, non admittendo hinc ullam virtualitatem in ordine ad prædicata physica, cum ejus admittendæ nulla sit necessitas. Quod si illa attributa ita sunt idem realiter cum essentia, ut excludatur etiam virtualitas dicta, fit, ut si ponatur unio inter naturam creatam & attributum v. g. sapientiæ, immensitatis, &c. unio illa, immediatè cadere, deberet, supra ipsam rationem naturæ divinæ; cum, ut dixi, nulla intercedat distinctio virtualis inter naturam divinam, & attributa. Porro unio immediatè cadere non potest supra naturam divinam, ita ut una cum natura creata constituat unum per se, ut supra dicebam; & si non potest constituere unum per se, nec posset fundare communicationem idiomatum; nam hæc etiam in creatis fundari non potest, nisi in unione per se: hinc quia unum per se non fit in cumulo lapidum, lapides non fundant communicationem idiomatum; si autem non esset tunc communicatio idiomatum inter naturam creatam & naturam divinam, nec esset communicatio idiomatum inter naturam creatam & scientiam divinam, quæ, ob indistinctionem, sequitur conditionem ipsius naturæ: si non esset communicatio idiomatum inter naturam creatam & sapientiam divinam, hoc ipso non esset creatura sapiens Sapientiâ increatâ; hoc enim præstari non posset, nisi per communicationem idiomatum. E contra, quia ex natura & substantia divina, potest ex dictis fieri unum per se, adeoq; esse communicatio idiomatum, fit, ut natura creata, possit reddi subsistens per substantiam increatam.

DIFFICULTAS III.

An possibilitas Incarnationis cohereat Principiis Theologiæ Christianæ.

3. **P**RINCIPIMUM, contra possibilitatem Incarnationis afferri potest, petitur ex Theologia Christiana, & vel maximè ex mysterio SS. Trinitatis, illudque sumetur, tam ex consideratione personarum, quam ex consideratione

ipsiusmet naturæ divinæ, prout nobis à fide revelata.

Quod attinet ad primum, sic proponitur difficultas.

Vi unionis hypostaticæ, & deberent omnes personæ incarnari, & non deberent omnes incarnari; non deberent omnes incarnari, quia etiam de facto incarnatæ non sunt; & deberent omnes incarnari, quia est impossibile unitam esse naturam VERBI humanitati, atque adeò esse incarnatam, quin sit unita tota natura divina; nam non alia est natura VERBI divini, & alia natura divina: Ergo etiam impossibile est, esse unitam naturam divinam, & non esse unitas omnes tres Personas, quibus illa natura est identificata.

RESPONDETUR. Non debere uniri omnes tres Personas. Probatio in contra, supponit, quòd unio facta sit immediatè in natura divina, cum sit immediatè facta in persona. Sed quicquid sit de hoc, unita natura divina & personæ VERBI, non est necesse uniri reliquas personas; quia cum sit persona VERBI distincta realiter à reliquis personis, poterit illi convenire prædicatum, personam sequens, realiter aliud, quod non conveniat reliquis personis; Unità autem mediatè saltem naturam divinam, non est necesse uniri ullo modo personas, quia natura divina dicit virtuales distinctionem à personis in ordine ad prædicata primò intentionalia, qualia sunt uniri, non uniri, adeoq; æquivalentiam habet ad distincta realiter, exclusâ alieta actuali; & sicut ex iis quæ sunt distincta realiter, potest uniri unum, quin uniatur aliud, sic & in iis, quæ cum summa identitate habent æquivalentiam ad duo distincta realiter, fieri potest, ut unum uniatur & alterum non uniatur. De hac autem phrasi ly natura divina incarnata, agatur postea.

INSTABIS. Non minus sunt præsentēs tres personæ humanitati, quam persona VERBI, ergo si adhuc non recipiatur in persona VERBI illa unio, vel Entitas modalis, non erit ratio, cur dicatur sola persona VERBI incarnari?

RESPONDETUR. Omnes tres Personas esse intimè præsentēs humanitati titulo immensitatis & per circuminfessionem, sed non titulo terminationis; cur autem quamvis illam entitatem modalem non recipiat persona VERBI, determinet tamen illam potius, quam alias? peti debet ex natura illius entitatis, respicientis essentialiter hanc nonnisi personam: quamvis autem opera Trinitatis, quæ sunt in genere causæ physicae, v. g. productio corporis, animæ, modalitatis, dispositionumq; &c. Christi, sint communia toti Trinitati, producuntur enim ab omnipotentia, quæ rationem divinæ naturæ, omnibus personis communis sequitur; quia tamen incarnatio accepta pro terminatione, quæ terminatur natura humana à VERBO, non est

in ge-

in genere causæ efficientis, sed quasi formalis, ut interius etiam attingetur, fit, ut illa sit propria VERBO.

Quod attinet ad considerationem naturæ divinæ, argumentum sic habet.

Si possibile esset unio hypostatica, vi illius & esset necesse uniri saltem mediatur naturam divinam, & non esset necesse etiam mediatur illam uniri; esset necesse, quia id communiter supponitur, & quia in Christo duæ naturæ de facto sunt: præcipue autem, quia mediatur uniri, est uniri illud immediatur, à quo aliud non distinguitur realiter, sicut natura divina non distinguitur realiter à personâ; & quia in omni unione hypostatica, est necesse immediatur uniri personam, ideo etiam erit necesse mediatur uniri naturam. Non esset verò necesse, etiam mediatur uniri naturam, quod probatur; vi distinctionis virtualis potest produci personalitas, & non produci etiam mediatur natura, potest item communicari natura immediatur, & non communicari etiam mediatur personalitas, aliâs patet esset saltem mediatur in personâ non distinctus realiter à Filio, eò, quod illius personâ mediatur esset communis, siquidem mediatur communicaretur: Ergo etiam beneficio ejusdem distinctionis, quantumvis immediatur uniatur personâ VERBI, non erit necesse etiam mediatur uniri naturam divinam.

Punctum Difficultatis 1.

Expenduntur Responsiones.

RESPONDET 1. Quidam, implicare quominus saltem mediatur uniatur natura divina, casu quo uniatur immediatur personalitas; quia implicat, ut unione illa non sanctificetur natura creata, non sanctificaretur autem, quia sanctitas hæc desumitur non nisi ab ipsamet natura, quæ tamen tunc non uniretur. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia redit argumentum. Potest non produci etiam mediatur natura, producta immediatur personalitate; Ergo poterit etiam immediatur uniri personâ divina, ita, ut nec mediatur divina natura sanctificativa uniatur. Tum quia dubium est hoc principium, an non detur etiâ personalis sanctitas, de quo infra. Tum quia, si naturæ irrationali personâ divina uniretur, non illam sanctificaret, & tamen est possibilis talis unio, ut communius docetur, quicquid in oppositum dicat Esparza, saltem: ad solutionem hujus implicantæ, danda esset implicantia, quare non posset uniri personâ divina, saltem jam naturæ intellectuâli, non exhibendo illi prædicatum sanctificati?

RESPONDET 2. Idem, Posito, quod nec mediatur producat naturâ divinâ, quamvis producat personâ, non sequitur ulla inæctio

distinctionis realis; si autem uniatur immediatur personâ, & non uniatur etiam mediatur naturâ, sequeretur distinctio realis, nempe separatio naturæ non unitæ à personâ unita. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia, quamvis producta immediatur personâ, non producat mediatur etiam naturâ, non sequitur separatio naturæ divinæ à personâ; Ergo etiam quamvis non uniatur etiam mediatur natura divina, non sequeretur ejusdem separatio à personâ divina; hoc enim dicam salvari distinctione virtuali; sicut enim, si essent duo distincta realiter, posset unum uniri, quin mediatur uniatur aliud; ita & beneficio distinctionis virtualis, poterit etiam unum immediatur uniri, quin etiam mediatur uniatur aliud. Tum quia, si non uniretur etiam mediatur natura divina, foret illa actu separata ab eo, cui unitur personâ divina, nempe à naturâ humana, non tamen foret actu separata à personâ divina, nec apparet, unde hæc separatio à personâ oriri deberet; Ergo adhuc posset nec mediatur uniri natura divina, siquidem negatâ hac unione non esset separatio à personâ divina, licet foret separatio à naturâ creata. Tum quia, quando unitur mediatur natura divina humanitati Christi, ita, ut nec mediatur uniatur personâ Patris & Spiritus S. ne intercedat distinctio realis, sufficit, ut per circuminseffionem sit præsens Pater & Spiritus Sanctus: Ergo & non unita etiam mediatur natura divina, ne illa distinguatur realiter, ne importet separationem, sufficit: ut sit præsens per circuminseffionem, non ergo exigetur unio etiam mediatur.

RESPONDERI potest 3. Ex Aldrete Disp. 42. Sect. 2. Quod non tantum mediatur, sed etiam immediatur divinitas sit incarnata, & quod non potuerit non incarnari; quia divinitas identificatur cum termino directè unito; quod ipsum habet fundamentum ex illo principio. Identitas quatenus identitas, non potest facere diversitatem, in ordine ad communicationem; ac proinde dum semel unitur personalitas, debet quidquid cum illa personalitate identificatur, sufficienter communicari; neque obstat virtualis distinctio, quia illa distinctio est solum secundum quid, identitas verò est simpliciter identitas. Quod ipsum ulterius explanat. Tunc aliqua formalitas dicitur perfectè & immediatur uniri, quando nihil mediat inter ipsam præter unionem: jam autem, inter unionem hypostaticam & essentiam divinam, nequicquam mediat; non enim mediat personalitas Filii: quia relatio filii, est idem cum natura divina; jam autem inter unionem hypostaticam & paternitatem mediat filiatio, quæ non est idem cum paternitate. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia redit argumentum. Quamvis Divinitas identificetur cum termino producto, potest produci personalitas, & non produci naturâ; ergo etiâ quamvis iden-

rificetur cum termino immediatè unito natura, poterit tamen non uniri. Quamvis identitas quâ identitas, non possit facere diversitatem in ordine ad communicationem, potest nihilominus communicari natura & non produci, non communicatâ personalitate, & productâ personalitate: Ergo etiam quamvis identitas, quâ identitas, non possit facere diversitatem in ordine ad communicationem, poterit uniri immediatè personalitas divina, non unitâ naturâ. Quamvis distinctio virtualis sit distinctio secundum quid, identitas autem simpliciter, potest non produci natura, productâ personalitate; Ergo poterit & non uniri. Quamvis, dum producit personalitas, nihil mediet inter productionem & illam naturam, quia filiatio producta, est idem realiter cum natura divina, nihilominus non producit natura: Ergo nec unitur. Tum quia assumit aliqua hæc doctrina, quæ non convincunt; nam quod dicit distinctionem virtuale esse secundum quid, hoc indiget explicatione; nam non secundum quid, natura non producit, personalitas VERBI producit, sed verè & realiter. Quod assertur, inter personam Patris, ne uniatur tunc, mediare personam Filii: id etiam non convincit; nam quando immediatè unitur, per Aldrete, natura divina humanitati Christi, immediatè etiam unitur persona VERBI, non dicitur mediare persona Patris, impedireq; ne uniatur immediatè persona VERBI; Ergo nec impedit persona VERBI, ne immediatè uniatur Paternitas. Tum quia argumentum quod assertur, non concludit; concedo enim divinitatem esse identificatam realiter cum termino directè unito, sed non est illic identificatio, cum exclusionem distinctionis virtualis: de qua queritur, cur salvare non possit, ne immediatè uniatur natura? & licet identitas, quæ est exclusiva etiam virtualis distinctionis, non possit facere distinctionem in ordine ad communicationem; secus tamen si sit cum tali distinctione; quæ enim in hoc implicancia? Negatur item, illam identitatem esse ita identitatem simpliciter, ut excludat distinctionem virtuale, beneficio cuius, quæ implicancia, cur non possit illi ne mediatè quidem uniri natura? Tunc etiam aliquid immediatè unitur, quando nihil mediat inter ipsum & unionem, si cætera sint paria, & absit distinctio virtualis, faciens, ut nullo modo se habeat illa unio, per ordinem ad naturam divinam. Plura similia responderi possent in contra. Ad hoc attendi debet, ut investigetur, an implicet, ut uniatur immediatè personalitas, ita ut nec mediatè uniatur natura, & an ad hoc salvandum, non possit conferre distinctio virtualis, talis, qualis reperitur in

Divinis?

Punctum Difficultatis 2.

Affertur Responso.

SUPPONO 1. S. Thomam hic qu. 3. art. 2. expressè citare Patres, qui tenent naturam Dei incarnatam esse: habetque hoc etiam Augustinus lib. de Fide ad Petrum cap. 2. Sed hic liber, ut notat Suarez in Comment. hujus articuli, non est Augustini, sed Fulgentis; accipiturque illic natura pro persona, nam nullo modo potest dici, natura divina genita, quod tamen vult ille locus. Durandus etiam in 3um, dist. 1. q. 1. docebat primario unionem factam esse in natura, secundo in persona, sed hoc rejicitur à Theologis. Quando autem Patres in Christo dicunt esse duas naturas, id verum est; sed non sequitur, quod unio proprie fuerit facta in natura divina, secundum suum esse absolutum spectata.

SUPPONO 2. Doctrinam S. Thomæ citati in corpore. *Primò quidem*, inquit, *& propriissime persona dicitur assumere, secundo autem potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam*, in quantum scilicet (ut interpretatur Suarez) verbum assumendi, importat rationem principii & virtutem agendi, quæ per se naturæ convenit.

SUPPONO 3. An in humanitate Christi sint speciali modo, & non solum vi immensitatis, omnes tres personæ? tractat hæc quæstionem Suar. d. 12. Sect. 1. citatq; loca S. Thomæ ex 1. parte qu. 43. art. 3. qui videtur talem modum specialem existendi in humanitate non agnoscere, citat & Hugonem Cardinalem, qui libro, qui inscribitur Speculum Ecclesiæ, paragr. *Post hæc igitur*: definit, Patrem & Spiritum Sanctum, non esse speciali modo sub speciebus Sacramentalibus, etiam per concomitantiam. Imò & Tridentinum Sessione 13. c. 3. Soli id tribuit divinitati, propter hypostaticam unionem, nec meminit inibi personarum; quod si non sunt speciali modo aliæ personæ in Eucharistia, nec erunt in humanitate Christi. Cæterum, deferendo authoritati phræos Tridentinæ, & Hugonis, possent hæc distingui, Concomitantia & Circuminfessio. Concomitantia per Tridentinum refertur in naturalem ordinem unitorum & connexionem, cumq; personæ aliæ non sint unitæ, posset dici, quod non sint illic per concomitantiam; sed cum hoc stat, ut possint esse per circuminfessionem, quæ fundat præsentiam & intimitatem, ratione identificationis in natura; ita, ut si per impossibile non esset pater immensus, titulo identificationis cum natura divina, suo modo in Christo unita, adhuc deberet esse illic præsens; unde etiam tenet Suarez, adesse speciali modo reliquas personas humanitati, citatq; Gabrielem, Viguers. Augustinum Serm. 3. de

Tempore. Cyrillum lib. i. in Joan. cap. 47.
Cum hoc tamen stat, *Quod*

SUPPONO 4. Etiam si ponatur specialis coexistencia aliarum personarum in ipsamet humanitate, maior tamen est connexio divinitatis cum humanitate. Ratio: quia id videtur significare scriptis S. Pauli dicentis, *habitare*, in Christo, *placuit* divinitatis corporaliter: & Augustini Enchyridii cap. 34. ubi dicit: *Corpus fuisse à divinitate susceptum*; non dicit autem id esse à Patre susceptum. Deinde, quia aliàs, sicut vera est ista propositio, Totum Hypostaticum stat in duabus Naturis & unà Personā; sic etiam vera esset propositio, quod totum Hypostaticum esset duabus Naturis & tribus Personis; si enim est æqualis connexio personarum cum natura humana, ac connexio naturæ divinæ cum illa, totum Hypostaticum, & quæ importaret personarum divinas, ac naturam divinam.

SUPPONO 5. Hanc existentiam specialem naturæ divinæ in humanitate non esse aliam quam ratione unionis: quicquid sit, live illa sit mediata, live immediata, de qua ipsa unione duplex potest institui quæstio 1. An defacto sit unita natura divina? & hæc est de fide, quia est de fide, in Christo esse duas naturas: non essent autem duæ naturæ, si non diceretur una divina Natura; sicut nec habet Christus duas personas, suam & Patris, quia persona Patris nullo modo est unita. addo. Potest esse quæstio de possibilitate, an sit possibile, ut ne mediata quidem uniatur natura divina: videtur quæ posse id aliter. Ratio: Tum quia id non implicat. Tum quia videtur hoc sufficienter innuere Suarez lib. d. 12. Sect. 1. Conclus. 2. *Dico, inquit, per incarnationem prout facta est, natura, fuit verè & realiter unita naturæ humane in persona VERBI.* Ubi ly *prout facta est*, videtur supponere, quod id aliter fieri potuerit. Tum quia urget bene paritas supra in argumento proposito attackta. *His suppositis*

RESPONDETUR. Aliam esse quæstionem, quid sit de facto, & aliam quid sit de possibili: de facto, est unita naturæ humanæ natura VERBI, ita tamen, ut potuerit non uniri, de quo toto in suppositis.

INSTABIS 1. Exinde sequi, fuisse in libertate VERBI, ut uniretur secum natura divina: quod non potest dici, aliàs diceretur, fuisse etiam in libertate Patris, communicare suam Paternitatem filio.

RESPONDETUR. Concedendo sequelam: paritas allata non tenet, quia non erat in libertate Patris, ne distingueretur realiter à Filio, tanquam produciens & productum: Si autem illi communicaret paternitatem, non distingueretur realiter ab illo, consequenter, subrueretur jam totum mysterium Trinitatis, quod non potest ostendi subruendum, si ne mediata quidem uniatur natura divina. Rursus, quia

suppositis suis intrinsecis, Deus est liber in faciendo aliquid ad extra, hancque libertatem ostendit, faciens immediatè uniri personam, non naturam: consequenter potest esse liber, ut nullo modo uniatur natura. In istis autem, quæ sunt ad intra circa producere, vel non producere, non est liber Deus.

INSTABIS 2. Si verum est assertum, non posset ostendi per quid fiat, ut mediata uniatur natura divina.

RESPONDETUR. Id peti debere ex natura modalitatis, inferentis alligationem etiam Naturæ divinæ: unde etiam hoc argumento probari potest, debere dari talem modalitatem.

INSTABIS 3. Eo casu, quo nec mediata uniatur natura, sequeretur, quod totum hypostaticum non esset Deus.

RESPONDETUR. Fore Deum, in quantum ly Deus supponit pro Persona divina unita.

INSTABIS 4. Posita responsione, non erit fundamentum colligendi, quod de facto sit unita natura divina.

RESPONDETUR. Ea, quæ sunt libertatis divinæ, colligi ex Scriptura, Traditione, doctrina Conciliorum: claræ autem sunt doctrinæ Conciliorum, esse in Christo duas naturas: supponendum quæ est Deum semper connaturalius agere, connaturalius autem est, ut uniatur etiam natura divina; utpote quæ est idem realiter cum persona: probabileque est, noluisse Deum in Incarnatione duplicare difficultatem, ut duplicaret, si titulo distinctionis virtualis, reperiabilis in mysterio Trinitatis, nollet etiam mediata uniri naturam divinam: cum aliunde ipsa unio personarum, tantam etiam habeat difficultatem.

INSTABIS 5. Mediata uniri, est uniri, quia unitur immediatè id cui aliud alterum identificatur: jam autem omni eventu natura divina identificatur personæ: Ergo si persona immediatè uniatur, unitur mediata natura.

RESPONDETUR, ex vi allati principii, ad unionem mediatam, non solum requiritur identificatio realis, cum termino immediatè unito, sed etiam requiritur talis conditionis modalitas, quæ determinet non solum alligationem ipsius personæ, sed etiam naturæ; idque in præsuppositione decreti divini, volentis mediata uniri naturam. Et sicut datur modalitas, essentialiter respiciens nonnisi personam VERBI identificatam naturæ, non autem personas alias eidem identificatas; ita posset dari modalitas, solum nonnisi respiciens personalitatem, & non naturam, etiam mediata. Et sicut non est hoc mediata produci, quia immediatè produciatur id, cum quo aliud identificatur realiter: nam immediatè produciatur Verbum, & non dicitur mediata produci natura illi identificata realiter; ita nec hoc erit formaliter mediata unitum;

tum, quod realiter identificatur immediate unito.

ALIA viâ eidem difficultati occurri potest, declinando ad hanc partem, quod impossibile sit, ut in toto hypostatico saltem mediatè non uniatur natura divina. Hinc jam argumento ducto à productione, disparitas hæc assignari potest: Unio, vel quæcunque modalitas illic requisita, non habet in se vim distinctionis virtualis, in ordine ad prædicata physica, est enim quid creatum; si non habet vim distinctionis virtualis, tunc si aliquid afficit vel determinat, debet determinare omnia identificata illi realiter, non excipiente ab illo determinativo quacunque virtuali distinctione, quia ipsum determinativum illam non habet; ad eum modum, quo, digitus tangens aliud, sui extremitatibus totis, non potest nisi tantum tangere, licet tangibile, ab alio minori tactivo, possit non tantum tangi; è contra quia ipsa productio VERBI, habet in se distinctionem virtuales, est enim virtualiter distincta à natura divina, idè bene poterit unam virtualitatem producere, nempe personam, non productâ etiam mediatè aliâ virtualitate: nempe naturâ.

INSTABIS I. Vi hujus Responsionis sequitur, impossibile esse, quin uniatur natura divina, si uniatur personalitas divina.

RESPONDETUR. In hac viâ id conceditur.

INSTABIS 2. Vi hujus responsionis sequi, quod non tantum mediatè sed etiam immediatè, unita sit natura divina; quia si immediatè unitur Persona divina, & non habet vim in se virtualitatis illa modalitas vel unio, non poterit non immediatè unire naturam divinam: hoc ipso enim haberet virtualitatem ad mediatam unionem.

RESPONDETUR. Istud immediatè unitum, solum significare alligationem ejus, quod immediatè complet substantialiter, & facit immediatè Unum per se; quam rationem completivi substantialiter, vi suæ virtualitatis, exhibet Persona divina, non exhibet natura, nisi in persona VERBI, & hoc est illius mediatio.

INSTABIS 3. Quod non uniatur etiam mediatè persona Patris, quæ cumvis uniatur natura divina, vel id sit beneficio distinctionis virtualis, vel sine illo? Si Imum ergo illa datur in creatis, quod est absurdum. Si adum: ergo etiam sine ullo beneficio distinctionis virtualis; poterit uniri immediatè persona, quin uniatur etiam mediatè natura.

RESPONDETUR; sine ulla distinctione virtuali, non uniri etiam mediatè personam Patris, quia deficit fundamentum in parte requisitum ad salvandam unionem mediatam, nempe identificatio cum termino immediatè unito; quam identificationem, personam Patris, non habet cum persona Filii.

Virag, hæc Responsio teneri potest.

Punctum Difficultatis 3.

Afferuntur aliqua idem exodantia.

AD pleniorē hujus difficultatis penetrationem, attingi debet, an de facto immediatè sit unita natura, & an ita poterit uniri?

DICENDUM est. *Immediatè non esse unitam naturam, posse tamen immediatè uniri.* Est conclusio contra Aldrete.

I. Pars, PROBATUR I. autoritate Conciliorum. Concilium Toletanum Imum cap. 1. ut habetur in summa Conciliorum, hæc habet, *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate divine nature.* Qui locus excludit aliquam unionem cum natura; sed non mediatam, aliâ non essent in Christo duæ naturæ: Ergo immediatam. Synodo 6tâ generali, hæc habetur propositio. Quod circa mysterium Incarnationis Pater & Spiritus S. nullâ, inquit, *ratione communicant, nisi quis dicat secundum benignissimam & misericordem voluntatem;* quæ propositio, cum non possit intelligi de mediata unionem, intelligenda erit de immediata; quod scilicet immediatè non uniatur id, in quo Pater & Spiritus Sanctus communicant.

PROBATUR 2. Autoritate S. Thomæ, sic enim habet hic qu. 3. art. 2. in corpore. *Primo quidem & propriissime persona dicitur assumere, secundario autem potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam, ad sui personam;* & supra qu. 2. art. 2. in corpore. *Cum VERBUM divinum, naturam sibi humanam, non ad naturam suam attinentem univit, necessario ea unio non in natura, sed in persona facta est.* Autoritati S. Thomæ adjungenda Scholasticorum, qui docent formalem rationem, per quam VERBUM, primò ac per se, terminat humanitatem, esse proprietatem ejus relativam; ita Alen. Bonau. Scot. Gabr. Palud. Martil. omnes apud Suarez hic disp. 12. Sect. 2. Qui istam sententiam, ita dicit esse certam, ut contraria nullo modo probabilis existimanda sit. Si autem primò & per se non est natura divina unita, sequitur non fuisse illam immediatè unitam. Vide etiam Arriaga hic Disp. 26. n. 14.

PROBATUR 3. Quia si immediatè uniretur natura divina, idque ut supponitur substantialiter, non esset ratio, quare etiam de facto non sit unita persona Patris & Spiritus Sancti, quod tamen est contra fidem.

OBJICIT Aldrete autoritatem Cyrilli, qui Epistolâ ad Successum. *Non oportet, inquit, intelligere duas naturas, sed unam naturam VERBI DEI incarnatam.*

RESPONDETUR. Quod illic non accipiat nomine naturæ Cyrillus personam, ipse explicat apud Valquez Disp. 41. Sic tamen explicari potest: quod una sit in Christo natura divina, quæ est incarnata, natura autem humana non est incarnata, sed ratione cujus facta incarnatio; vel, quod naturâ divina sit in persona VERBI incarnata:

nata: vel quod nomine naturæ intellexerit unum compositum substantiale, ut habet Raimundus lib. 1. de Christo n. 129. Ante recentiores, vide de eodem loco S. Thomam hic q. 2. art. 1. ad 1. & q. 3. art. 2. in corpore.

INSTABIS. Inexplicabile est, in quoniam ista mediata unio consistat.

RESPONDETUR. In hoc mysterio multa est inexplicabilia, sufficit se tueri, quia id non implicat contradictionem. Quod autem mediata & immediata unionem explicare non possumus, provenit ex eo, quia ipsum fundamentum illius, nempe distinctionem virtutalem, non penetramus, nec penetrare possumus, quia hoc ipso penetraremysterium Trinitatis. De hac tamen mediata unione dici posset, illam in hoc stare; quia vilius alligatur etiam natura divina: quia tamen non nisi mediante Personalitate facit unum per se substantiale, ratione Personæ completis substantialiter; ideo non nisi illa mediante dicitur uniri, mediatè item unitur: quia immediatus respectus modalitatis habetur non nisi ad personalitatem VERBI, ad naturam autem extendit se ille ordo, non nisi propter identitatem ejus cum persona, hocq; ipso mediatè quia scilicet, si per impossibile non esset illa natura physice idem cum VERBO, non se ad illam exporrigeret illa modalitas.

PROAD 2. Partem, nempe an sit impossibilis mediata unio naturæ divinæ? posset esse questio, an scilicet per substantiam absolutam posset terminari natura humana? sed hanc non dari alibi decisum, si daretur, posset terminare naturam humanam, quia nihilo differret à Personalitate, positoq; quod esset indistincta virtualiter à natura divina, terminaret formaliter naturam humanam, non secundum quod natura, sed secundum quod substantia est. Procedit tamen questio de ipsamet natura an possit immediate uniri? affirmat Scotus, Durandus, Richardus, Occam, Gabriel, Cajetanus, Valentia, Suarez, Disp. 13. Sect. 1. Negat Capreolus, Alensis, Vasq. disp. 27. n. 4. Aldrete & alii. Contra quos

PROBATUR 1. Quia id non implicat contradictionem.

PROBATUR 2. Possibilis est modus determinans ut uniatur mediatè natura, quamvis immediate uniatur Persona: ergo etiam possibilis erit modus, determinans ut immediate uniatur natura.

PROBATUR 3. Potest communicari natura immediate, non communicari etiam mediatè persona: ergo etiam potest immediate uniri natura, & non uniri etiam mediatè persona.

OBJICITUR 1. Natura divina sic unita naturæ humanæ, neq; esset homo cum non esset ipsa suppositum habens naturam humanam: neque etiam esset natura humana, siquidem distingueretur ab illa; Ergo casus omnino est impossibilis.

RESPONDETUR. Quando admittitur possibilis unio immediata naturæ divinæ, cum natura creata, non admittitur unio substantialis: hæc enim requirit, præter extrema substantialia, incompletionem, qualis non habetur in naturis; quod si non admittitur à nobis unio illa substantialis, non admittitur fundans communicationem idiomatum; quia hæc, est unitas prædicatorum substantialium, unitas autem prædicatorum substantialium, non est nisi ratione Unionis Substantialis; si autem non erit tunc communicatio idiomatum, non poterit dici, quod illa natura divina sit natura humana, nec erit natura illa divina homo, sed erit unitum, & adstrictum naturæ humanæ.

OBJICITUR 2. Etiam posita substantiâ absoluta, non posset illa terminare naturam creatam, quia substantia debet reddere naturam incommunicabilem, hoc autem non præstaret substantia absoluta.

RESPONDETUR. Substantiam absolutam, si & ipsa sit incommunicabilis, debere reddere naturam incommunicabilem, non esset autem incommunicabilis substantia absoluta, si daretur.

OBJICITUR 3. Quia nullibi S. Thomas affirmat possibilitatem talis unionis, & quia post multa hic quæst. 3. art. 3. in corpore, non invenit modum, quo Natura divina uniri possit, nisi in consideratione nostra intelligatur ut subsistens.

RESPONDETUR nullibi etiam S. Thomam negare hanc possibilitatem; locus citatus, loquitur de unione substantiali faciente unum per se substantiale, quæ non potest esse nisi intelligatur natura divina ut subsistens, non loquitur autem de unione accidentali, quæ à nobis hic ponitur.

QUÆSTIO III.

An Principiis Philosophicis cohereat Possibilitas Incarnationis?

1. **PRINCIPIMUM.** Definitivè Subsistentia per Boëtium, est naturæ rationalis individua Substantia: nunquam autem potest natura humana esse à parte rei, nisi individua: Ergo nec existere sine propria Persona.

RESPONDETUR. Ly individua dupliciter sumi potest: imprimis pro singulari & hæceisata, & sic non potest existere natura, nisi individua; Secundò sumi potest ly individua, pro non communicata alteri, pro non dividuante se ad unionem cum alio terminante, pro habentè rationem totius talis: & sic fieri potest, ut natura existat, communicetur tamen alteri, ut ab alio terminetur, ut non habeat in se rationem totius, sed rationem partis, adeoq; ut à Personalitate aliena, maxime divina, terminetur. Quando autem assumunt aliqui, magis esse separabilem individuationem quam Personam, eò quod esse individuum pluribus conveniat, esse autem Personam